

Hec vero marmorea navis ab his que infra se erant tuta ferebatur et eorum potius sufragiis indigebat . Nam si ille interioris ponderis thesaurus mirabilis defuissest profunda ponti potius subiret . quam placidis febris (crebris) in eum pontum potiretur . Mirabilis tandem illa saxeua navis recto vestigio equoris superficie sublimis . cum subiecto marmore ad statutum portum currere cepit . atque ad quandam insulam iō ore montis . qui rubeus vocabatur . multorum sanctorum cruento . virtute potenti advenit quoque divina incisione montis saxum ingressa est . Illucescente itaque die multi ex rubei montis habitantium descendentes ut mox est ad mare ingredientes . subito cognoverunt tantos immannissime tempestatis fluctus existere . quantos antea nunquam fuisse videbantur experti . Cum crebro intuitu in sinu montis aspicerent . apparuit illis lux tanti splendoris inter maritimae procellas coruscare . ut variis animorum motibus tanta spectacula mirarentur . Atque illa sublimis altitudinis archa in medio circumfulse lucis velud navis natare apparebat . Illi denique dum hec perspicacibus oculis intendere niterentur hec vellud navigio quodam ad rupem accessit plano exitu in quodam tumulum iuxta murum predicti montis extra castrum in parva planicie conquievit . Continuo tumentium acquarum procelle mitigatis ventis ad consuetos terminos redierunt . ut procul dubio pateret liquentium elementorum materiam . et competenter ad tollerandam divini oneris sarcinam riguisse . et congrue accessibilem se ad sumenda incomparabilis thesauri precia efficaciter prebuisse . Fama igitur talis prodigii in ystriensem provintiam cepit extendi . Exiit universus utriusque sexus populus ad hoc novitatis spectaculum intuendum . Convenientium opiniones in diversa trahebantur . quisquis illud mirabile onus una mirabatur . ut infra castrum dilatione aliqua duceretur . Sed quidam sapientes ac sanctissimi viri duo ex compluribus nomen unius lefardus . et nomen alterius genesius diu commorantes ac beatissimam vitam ducentes in cellulis marine insule in qua quamplures beatorum cetibus ac deo conjuncti sunt agminibus quo auditio gaudenter . cum maxima suorum fratrum parte egressi putantes beati thesauri in suis oraculis aliquam lucrari particulam . Confestim accersito consilio . persuadere cuncti nitebantur . ut eis valetudine hanc archam marinis undis mirabiliter advectam ad insulam orationum transferre incessabiliter festinarent .